

9 E quibus quinque junges seorsum, & sex sibi mutuo copulabis, ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices.

10 Facies & quinquaginta anfas in ora sagi unius, ut conjungi cum altero queat: & quinquaginta anfas in ora sagi alterius, ut cum altero copuletur.

11 Facies & quinquaginta fibulas æneas, quibus jungantur ansæ, ut unum ex omnibus operimentum fiat.

12 Quod autem superferit in sagis quæ parantur tecto, id est, unum sagum quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi.

13 Et cubitus ex una parte pendebit, & alter ex altera, qui plus est in sagorum longitudine, utrumque latus tabernaculi protegens.

14 Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: & super hoc rursus aliud operimentum de janthinis pellibus.

15 Facies & tabulas stantes tabernaculi de lignis setim,

16 Quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, & in latitudine singulos ac semissem.

17 In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur: atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur.

18 Quarum viginti erunt in latere meridiano, quod vergit in Austrum.

19 Quibus quadraginta bases argenteas fundes, ut binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur.

20 In latere quoque secundo tabernaculi quod vergit ad Aquilonem, viginti tabulæ erunt,

21 Quadraginta habentes bases argenteas, binæ bases singulis tabulis supponentur.

22 Ad occidentalem vero plagam tabernaculi facies sex tabulas,

23 Et rursus alias duas quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi.

24 Eruntque conjunctæ a deorsum usque sursum, & una omnes compago resinabit. Duabus quoque tabulis quæ in angulis ponendæ sunt, similis junctura fervabitur.

25 Et erunt simul tabulæ octo, bases eorum argentæ fedecim, duabus basibus per unam tabulam supputatis.

26 Facies & vectes de lignis setim quinque ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi.

27 Et quinque alios in altero, & ejusdem numeri ad occidentalem plagam:

28 Qui mittentur per medias tabulas a summo usque ad summum.

29 Ipsas quoque tabulas deaurabis, & fundes in eis annulos aureos per quos vectes tabulata contineant: quos operies laminis aureis.

30 Et eriges tabernaculum juxta exemplar quod tibi in * Monte monstratum est.

31 Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere plumario & pulchra varietate contextum:

32 Quod appendes ante quatuor columnas de lignis setim, quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, sed bases argenteas.

33 Inferetur autem velum per circulos, intra quod pones arcam testimonii, quo & Sanctuarium, & Sanctuarii sanctuaria dividuntur.

34 Pones & propitiatorium super arcam testimonii in Sancto sanctorum:

35 Mensamque extra velum: & contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte Aquilonis.

36 Facies & tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere plumarii.

37 Et quinque columnas deaurabis lignorum setim, ante quas ducetur tentorium: quarum erunt capita aurea, & bases æneæ.

CAPUT XXVII.

Altare holocaustorum & atrium tabernaculi, tentorium, columnæ, & oleum lucernarum parari jubentur, & earum accensio.

1 **F**acies & altare de lignis setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id est quadrum, & tres cubitos in altitudine.

2 Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt, & operies illud ære.

3 Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, & forcipes atque fuscinulas, & ignium receptacula: omnia vasa ex ære fabricabis.

4 Craticulamque in modum retis æneam: per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei.

5 Quos pones subter arulam altaris: eritque craticula usque ad altaris medium.

6 Facies & vestes altaris de lignis fetim duos, quos operies laminis æneis:

7 Et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum.

* Sup. 20.
24.

8 * Non solidum, sed inane & cavum intrinsicus facies illud, sicut tibi in Monte monstratum est.

9 Facies & atrium tabernaculi, in cujus australi plaga contra meridiem erunt tentoria de bysso retorta: centum cubitos unum latus tenebit in longitudine.

10 Et columnas viginti cum basibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea.

11 Similiter & in latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, & bases æneæ ejusdem numeri, & capita earum cum cælaturis suis argentea.

12 In latitudine vero atrii, quod respicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, & columnæ decem, basesque totidem.

13 In ea quoque atrii latitudine, quæ respicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt.

14 In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur, columnæque tres & bases totidem.

15 Et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, & bases totidem.

16 In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere plumarii: columnas habebit quatuor, cum basibus totidem.

17 Omnes columnæ atrii per circuitum vestitæ

tæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, & basibus æneis.

18 In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit. Fietque de bysso retorta, & habebit bases æneas.

19 Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus & cæremonias, tam paxillos ejus quam atrii, ex ære facies.

20 Præcipe filiis Israel ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum: ut ardeat lucerna semper.

21 In tabernaculo testimonii, extra velum quod oppansum est testimonio. Et collocabunt eam Aaron & filii ejus, ut usque mane luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum a filiis Israel.

CAPUT XXVIII.

Pontificalia indumenta Aaronis & filiorum ejus describuntur.

1 **A**pplica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi: Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar.

2 Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.

3 Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi.

4 Hæc autem erunt vestimenta quæ facient: Rationale, & superhumerales, tunicam & lineam strictam, cidarim & balteum. Facient vestimenta sancta fratri tuo Aaron & filiis ejus, ut sacerdotio fungantur mihi.

5 Accipientque aurum, & hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum.

6 Facient autem superhumerales de auro & hyacintho & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere polymito.

7 Duas oras junctas habebit in utroque latere summatum, ut in unum redeant.

8 Ipsa quoque textura & cuncta operis varietas

tas erit ex auro & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta,

9 Sumesque duos lapides onichynos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel:

10 Sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis eorum.

11 Opere sculptoris & cælatura gemmarii, sculpes eos nominibus filiorum Israel, inclusos auro atque circumdatos:

12 Et pones in utroque latere superhumeralis, memoriale filii Israel. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum, ob recordationem.

13 Facies & uncinos ex auro,

14 Et duas catenulas ex auro purissimo sibi invicem coherentes, quas inferes uncinis.

15 Rationale quoque judicii facies opere polymito juxta texturam superhumeralis ex auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta.

16 Quadrangulum erit & duplex: mensuram palmi habebit tam in longitudine quam in latitudine.

17 Ponesque in eo quatuor ordines lapidum: & in primo versu erit lapis sardius, & topazius, & smaragdus:

18 In secundo carbunculus, saphirus, & jaspis:

19 In tertio ligurius, achates, & amethystus:

20 In quarto chrysolitus, onichinus, & beryllus. Inclusi auro erunt per ordines suos.

21 Habebuntque nomina filiorum Israel: duodecim nominibus exlabuntur, singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus.

22 Facies in rationali catenas sibi invicem coherentes ex auro purissimo:

23 Et duos annulos aureos, quos pones in utraque rationalis summitate,

24 Catenasque aureas junges annulis, qui sunt in marginibus ejus:

25 Et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere superhumeralis quod rationale respicit.

26 Facies & duos annulos aureos, quos pones in

in summitatibus rationalis, in oris, quæ e regione sunt superhumeralis, & posteriora ejus alpi-ciunt.

27 Nec non & alios duos annulos aureos, qui ponendi sunt in utroque latere superhumeralis deorsum, quod respicit contra faciem iuncturæ inferioris, ut aptari possit cum superhumerali.

28 Et stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina, ut maneat junctura fabrefacta, & a se invicem rationale & superhumeralis nequeant separari.

29 Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in rationali judicii super pectus suum, quando ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum.

30 Pones autem in rationali judicii Doctrinam & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo, in conspectu Domini semper.

31 Facies & tunicam superhumeralis totam hyacinthinam,

32 In cujus medio supra erit capitium, & ora per gyrum ejus textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facile rumpatur.

33 Deorsum vero, ad pedes ejusdem tunicæ, per circuitum, quasi mala punica facies ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis:

34 Ita ut tintinnabulum sit aureum & malum punicum: rursumque tintinnabulum aliud aureum & malum punicum.

35 * Et vestietur ea Aaron in officio ministrarii, ut audiatur sonitus quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.

36 Facies & laminam de auro purissimo: in qua sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino.

37 Ligabisque eam vitta hyacinthina, & erit super tiaram,

38 Imminens fronti pontificis. Protabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt & sanctificaverunt filii Israel, in cunctis muneribus &

donariis suis. Erit autem lamina semper in fronte ejus, ut placatus sit eis Dominus.

39 Stringesque tunicam bysso, & tiamam byssinam facies, & balteum opere plumarii.

40 Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos ac tiaras in gloriam & decorem:

41 Vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum & filios ejus cum eo. Et cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos, ut sacerdotio fungantur mihi.

42 Facies & feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ, a renibus usque ad femora:

43 Et utentur eis Aaron & filii ejus quando ingredientur tabernaculum testimonii, vel quando appropinquant ad altare ut ministrent in Sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum sempiternum erit Aaron, & semini ejus post eum.

CAPUT XXIX.

Quæ fuerit sacerdotum consecratio, ritusque oblationis pro illis, & qui his oblationibus vescantur: ac de duobus agnis anniculis quotidie offerendis.

1 **S**ed & hoc facies, ut mihi in sacerdotio consecrentur. * Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos,

2 * Panesque azymos, & crustulam absque fermento, quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azyma oleo lita: de simila triticea cuncta facies.

3 Et posita in canistro offeres: vitulum autem & duos arietes.

4 Et Aaron, ac filios ejus applicabis ad ostium tabernaculi testimonii. Cumque laveris patrem cum filiis suis aqua,

5 Indues Aaron vestimentis suis, id est, linea & tunica, & superhumerali & rationali, quod constringes balteo.

6 Et pones tiamam in capite ejus, & laminam sanctam super tiamam,

7 Et oleum unctionis fundes super caput ejus, atque hoc ritu consecrabitur.

8 Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingesque balteo,

9 Aa-

9 Aaron scilicet & liberos ejus, & impones eis mitras: eruntque sacerdotes mihi religione perpetua. Postquam initiaveris manus eorum,

10 * Applicabis & vitulum coram tabernaculo testimonii. Imponentque Aaron & filii ejus manus super caput illius,

11 Et maciabis eum in conspectu Domini, juxta ostium tabernaculi testimonii.

12 Sumptumque de sanguine vituli, pones super cornua altaris digito tuo, reliquum autem sanguinem fundes juxta basim ejus.

13 * Sumes & adipem totum, qui operit intestina, & reticulum jecoris, ac duos renes, & adipem qui super eos est, & offeres incensum super altare.

14 Carnes vero vituli & corium & fimum combures foris extra castra: eo quod pro peccatis sit.

15 Unum quoque arietem fumes, super cujus caput ponent Aaron & filii ejus manus.

16 Quem cum mastaveris, tolles de sanguine ejus, & fundes circa altare.

17 Ipsum autem arietem secabis in frustra: lotaque intestina ejus ac pedes pones super concisas carnes. & super caput illius.

18 Et offeres totum arietem in incensum super altare: oblatio est Domino, odor suavissimus victimæ Domini.

19 Tolles quoque arietem alterum, super cujus caput Aaron & filii ejus ponent manus.

20 Quem cum immolaveris, fumes de sanguine ejus, & pones super extremum auriculæ dextræ Aaron & filiorum ejus, & super pollices manus eorum ac pedis dextri, fundesque sanguinem super altare per circuitum.

21 Cumque tuleris de sanguine qui est super altare, & de oleo unctionis, asperges Aaron & vestes ejus, filios & vestimenta eorum. Consecratisque ipsis & vestibus,

22 Tolles adipem de ariete, & caudam & arvinam, quæ operit vitalia, ac reticulum jecoris, & duos renes, atque adipem, qui super eos est, armumque dextrum, eo quod sit aries consecrationis:

23 Tor-

23 Tortamque panis unius, crustulam con-
sper-
sam oleo, laganum de canistro azymorum, quod
positum est in conspectu Domini:

24 Ponesque omnia super manus Aaron & fi-
liorum ejus, & sanctificabis eos elevans coram
Domino.

25 Suscipiesque universa de manibus eorum:
& incendes super altare in holocaustum, odorem
suavissimum in conspectu Domini, quia oblatio
ejus est.

26 Sumes quoque pectusculum de ariete, quo
initiatum est Aaron, sanctificabisque illud eleva-
tum coram Domino, & cedet in partem tuam.

27 Sanctificabisque & pectusculum consecra-
tum, & armum quem de ariete separasti,

28 Quo initiatum est Aaron & filii ejus, cedent-
que in partem Aaron & filiorum ejus jure per-
petuo a filiis Israel: quia primitiva sunt & ini-
tia de victimis eorum pacificis quæ offerunt Do-
mino.

29 Vestem autem sanctam, qua utetur Aaron,
habebunt filii ejus post eum, ut ungentur in ea,
& consecrentur manus eorum.

30 Septem diebus utetur illa qui pontifex pro
eo fuerit constitutus de filiis ejus, & qui ingre-
diatur tabernaculum testimonii, ut ministret in
Sanctuario.

31 Arietem autem consecrationis tolles, & co-
ques carnes ejus in loco sancto:

* Lev. 8.
31. & 24.
7.
Matth. 12.
4.
32 Quibus vescetur Aaron & filii ejus. * Pa-
nes quoque, qui sunt in canistro, in vestibulo
tabernaculi testimonii comedent,

33 Ut sit placabile sacrificium, & sanctificen-
tur offerentium manus. Alienigena non vescen-
tur ex eis, quia sancti sunt.

34 Quod si remanserit de carnibus consecra-
tis, sive de panibus usque mane, combures re-
liquias igni: non comedentur, quia sanctificata sunt.

35 Omnia quæ præcepi tibi, facies super Aa-
ron & filios ejus. Septem diebus consecrabis
manus eorum:

36 Et vitulum pro peccato offeres per sin-
gulos dies ad expiandum. Mundabisque altare
cum

cum immolaveris expiationis hostiam, & unges
illud in sanctificationem.

37 Septem diebus expiabis altare, & sanctifi-
cabis, & erit Sanctum Sanctorum: omnis, qui
tetigerit illud, sanctificabitur.

38 Hoc est quod facies in altari: * Agnos an-
niculos duos per singulos dies jugiter, * Num.
28. 3.

39 Unum agnum mane, & alterum vespere.

40 Decimam partem similitæ conspergæ oleo
tulo, quod habeat mensuram quartam partem
hin, & vinam ad libandum ejusdem mensuræ in
agno uno.

41 Alterum vero agnum offeres ad vesperam
juxta ritum matutinæ oblationis, & juxta ea quæ
diximus, in odorem suavitatis:

42 Sacrificium est Domino, oblatione perpe-
tua in generationes vestras, ad ostium taberna-
culi testimonii coram Domino, ubi constitutam
ut loquar ad te.

43 Ibi que præcipiam filiis Israel, & sanctifi-
cabitur altare in gloria mea.

44 Sanctificabo & tabernaculum testimonii cum
altari, & Aaron cum filiis suis, ut sacerdotio
fungantur mihi.

45 Et habitabo in medio filiorum Israel, ero-
que eis Deus.

46 Et scient quia ego Dominus Deus eorum
qui eduxi eos de terra Ægypti; ut manerem in-
ter illos, ego Dominus Deus ipsorum.

CAPUT XXX.

Institutio altaris thymiamatis, & pecuniæ in usus
tabernaculi exigendæ, labri ænei construendi pro
lotione sacerdotum, unguenti sacri pro unguendis
sacerdotibus & vasis templi, unctiois thymiamatis
& reliquorum quæ ad tabernaculum spectant.

1 **F**acies quoque altare ad adolendum thymia-
ma, de lignis setim,

2 Habens cubitum longitudinis, & alterum la-
titudinis, id est, quadrangulum, & duos cubi-
tos in altitudine. Cornua ex ipso procedent.

3 Vestiesque illud auro purissimo, tam crati-
culam ejus, quam parietes per circuitum, & cor-
nua.

na. Faciesque ei coronam aureolam per gyrum.

4 Et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vinctes, & altare portetur.

5 Ipsos quoque vinctes facies de lignis setim, & inaurabis.

6 Ponesque altare contra velum, quod ante arcam pender testimonii coram propitiatorio quo tegitur testimonium, ubi loquar tibi.

7 Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans, mane. Quando componet lucernas, incendet illud:

8 Et quando collocabit eas ad vesperum, uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras.

9 Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem, & victimam, nec libabitis libamina.

10 Et deprecabitur Aaron super cornua ejus semel per annum, in sanguine quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum sanctorum erit Domino.

11 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

12 * Quando tuleris summam filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti.

13 Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicti juxta mensuram templi.

* Sictus viginti obolos habet. Media pars sicti offeretur Domino.

14 Qui habetur in numero, & viginti annis & supra dabit pretium.

15 Dives non addet ad medium sicti, & pauper nihil minuet.

16 Susceptamque pecuniam, qua collata est a filiis Israel, trades in usus tabernaculi testimonii, ut sit monumentum eorum coram Domino, & propicietur animabus eorum.

17 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

18 Facies & labrum aeneum cum basi sua ad lavandum: ponesque illud inter tabernaculum testimonii & altare. Et missa aqua,

19 Lavabunt in ea Aaron, & filii ejus manus suas ac pedes,

20 Quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino,

21 Ne forte moriantur. Legitimum sempiternum erit ipsi, & semini ejus per successiones.

22 Locutusque est Dominus ad Moysen,

23 Dicens: Sume tibi aromata, primae mirrae & electae quingentos siclos, & cinnamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta.

24 Caliae autem quingentos siclos in pondere sanctuarii, olei de olivetis mensuram hin:

25 Faciesque unctiois oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii,

26 Et unges ex eo tabernaculum testimonii, & arcam testamenti,

27 Mensamque cum vasis suis, candelabrum, & utensilia ejus, altaria thymiatis,

28 Et holocausti, & universam supellectilem quae ad cultum eorum pertinet.

29 Sanctificabisque omnia, & erunt Sancta sanctorum: qui tetigerit ea, sanctificabitur.

30 Aaron & filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi.

31 Filiis quoque Israel dices: Hoc oleum unctiois sanctum erit mihi in generationes vestras.

32 Caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compositionem ejus non facietis aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis.

33 Homo quicumque tale composuerit, & dederit ex eo, alieno; exterminabitur de populo suo.

34 Dixitque Dominus ad Moysen: Sume tibi aromata, stacten & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, aequalis ponderis erunt omnia:

35 Faciesque thymiama compositum opere unguentarii, mixtum diligenter, & purum, & sanctificatione dignissimum.

36 Cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis: pones ex eo coram tabernaculo testimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama.

* Num. 1. 2.

* Lev. 27. 25. Num. 5. 47. Ezech. 45. 12.

37 Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino.

38 Homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruat, peribit de populis suis.

CAPUT XXXI.

Deputantur a Domino Beseleel & Ooliab ad constructionem tabernaculi ac ceterorum quae dicta sunt: de sabbati observatione, & de duabus lapideis tabulis legis a Domino Moyse datis.

1 **L**ocutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Ecce vocavi ex nomine Beseleel filium

Uri filii Hur de tribu Juda,

3 Et implevi eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere,

4 Ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & aere,

5 Marmore, & gemmis, & diversitate lignorum.

6 Deditque ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam: ut faciant cuncta quae praecepi tibi,

7 Tabernaculum foederis, & arcam testimonii, & propitiatorium, quod super eam est, & cuncta vasa tabernaculi,

8 Mensamque & vasa ejus, candelabrum purissimum cum vasis suis, & altaria thymiamatis,

9 Et holocausti, & omnia vasa eorum, labrum cum basi sua,

10 Vestes sanctas in ministerio Aaron sacerdoti, & filiis ejus, ut fungantur officio suo in sacris.

11 Oleum unctionis, & thymiamata aromatum in Sanctuario, omnia quae praecepi tibi, faciant.

12 Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

13 Loquere filiis Israel, & dices ad eos: * Videte ut sabbatum meum custodiatis: quia signum est inter me & vos in generationibus vestris: ut sciat quia ego Dominus, qui sanctifico vos.

14 Custodite sabbatum meum: sanctum est enim vobis: qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui.

15 Sex diebus facietis opus: in die septimo
sab-

* 5^o 27.
8.
Ezech. 20.
12.

sabbatum est, requies sancta Domino: omnis qui fecerit opus in hac die, morietur.

16 Custodiant filii Israel Sabbatum, & celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum.

17 Inter me & filios Israel, signumque perpetuum: * sex enim diebus fecit Dominus caelum * Gen. 2. 2. & terram, & in septimo ab opere cessavit.

18 Deditque Dominus Moyse, completis huiusmodi sermonibus in monte Sinai, * duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei. * Dent. 9. 10.

CAPUT XXXII.

Moyse absente, populus vitulum aureum constat & adorat; ob vitulum adoratum Moyses Deum precatur; de monte descendens tabulas frangit, vitulum comburit, & Aarone oburgato, idololatrias occidi jubet, ceterisque veniam impetrat, iterum conscenso monte.

1 **V**idens autem populus quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron, dixit: * Surge, fac nobis deos, qui nos precedant: Moyse enim huic viro, qui nos eduxit de Terra Aegypti, ignoramus quid acciderit. * Psal. 77. 49.

2 Dixitque ad eos Aaron: Tollite in aures aureas de uxorum, filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.

3 Fecitque populus quae iusserat, deferens in aures ad Aaron.

4 * Quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatile, dixeruntque: Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. * Psal. 105. 15.

5 Quod cum vidisset Aaron, aedificavit altare coram eo, & praconis voce clamavit dicens: Cras solemnitatis Domini est.

6 Surgentesque mane, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & * sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. * 1 Cor. 10. 7.

7 Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: * Vade, descende: peccavit populus tuus, quem eduxisti de Terra Aegypti. * Dent. 9. 12.

8 Receperunt cito de via, quam ostendisti eis: feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt: * Isti sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de Terra Ægypti.

* 3. Reg. 12. 28.

* Infr. 33. 3. Deut. 9. 13.

9 Rursumque ait Dominus ad Moysen: * Cerno quod populus iste duræ cervicis sit: 10 Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.

* Num. 13. 13. Psal. 105. 22.

11 Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: * Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum quem eduxisti de Terra Ægypti, in fortitudine magna, & in manu robusta?

12 Ne quæso dicant Ægyptii: Callide eduxit eos: ut interficeret in montibus, & deleret e terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui.

* Gen. 12. 7. & 15. 7. & 48. 16.

13 Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum, quibus iurasti per te metipsum, dicens: * Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli: & universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo femini vestro, & possidebitis eam semper.

14 Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum.

15 Et reversus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonii in manu sua scriptas ex utraque parte,

16 Et factas opere Dei: scriptura quoque Dei erat scripta in tabulis.

17 Audiens autem Josue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen: Ululatus pugnae auditur in castris.

18 Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio.

19 Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros: iratusque valde, projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.

20 Arripiensque vitulum quem fecerant, contulit, & contrivit usque ad pulverem, quem spar-

paravit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel.

21 Dixitque ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum?

22 Cui ille respondit: Ne indignetur dominus meus: tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum:

23 Dixerunt mihi: Fac nobis deos, qui nos præcedant: huic enim Moyse, qui nos eduxit de Terra Ægypti, nescimus quid acciderit.

24 Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi: & projecit illud in ignem, egressusque est hic vitulus.

25 Videns ergo Moyses populum quod esset nudatus (spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam fordis, & inter hostes nudum constituerat.)

26 Et stans in porta castrorum, ait: Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi:

27 Quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium super femur suum: ite, & redite de porta usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.

28 Feceruntque filii Levi juxta sermonem Moyse, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum.

29 Et ait Moyses: Consecrasti manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.

30 Facto autem altero die, locutus est Moyses ad populum: Peccastis peccatum maximum: ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro.

31 Reversusque ad Dominum, ait: Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam,

32 Aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.

33 Cui respondit Dominus: Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo:

34 Tu autem vade, & duc populum istum quo

locutus sum tibi: Angelus meus præcedet te. Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.

35 Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.

CAPUT XXXIII.

Minis Dei in populum sedatis a Moyse, populus deponit ornatum suum & luget delictum: placatur Deus, & loquitur Dominus cum Moyse facie ad faciem, qui cupit videre faciem & gloriam Domini.

1 **L**ocutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Vade, ascende de loco isto tu, & populus tuus, quem eduxisti de Terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham, Isaac, & Jacob, dicens: * Semini tuo dabo eam:

* Genes.

12. 7.

* Sup. 32.

32.

* Levit. 7.

22.

Jof. 24.

11.

* Sup. 32.

7.

Deut. 9.

23.

2 Et * mittam præcursores tui Angelum, ut ejiciam * Chananaeum, & Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezaeum, & Hevæum, & Jebusæum.

3 Et intres in terram fluentem lacte & melle. Non enim ascendam tecum, * quia populus duræ cervicis es: ne forte disperdam te in via.

4 Audientque populus sermonem hunc pessimum, luxit: & nullus ex more indutus est cultu suo.

5 Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israel: Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo te. Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi.

6 Deposuerunt ergo filii Israel ornatum suum a Monte Horeb.

7 Moyse quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus, Tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad Tabernaculum fœderis, extra castra.

8 Cumque egrederetur Moyse ad tabernaculum, surgebat universa plebs, & stabat unusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium.

9 Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostium, loquebaturque cum Moyse.

10 Cernentibus universis quod columna nubis staret ad ostium Tabernaculi. Stabantque ipsi, & adorabant per fores tabernaculorum suorum.

11 Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Cumque ille reverteretur in castra, minister ejus Josue filius Nun, puer, non recebat de Tabernaculo.

12 Dixit autem Moyse ad Dominum: Præcipis ut educam populum istum: & non indicas mihi quem missurus es mecum, præsertim cum dixeris: Novi te ex nomine, & invenisti gratiam coram me.

13 Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos: respice populum tuum gentem hanc.

14 Dixitque Dominus: Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.

15 Et ait Moyse: Si non tu ipse præcedas, ne educas nos ne de loco isto.

16 In quo enim scire poterimus ego & populus tuus invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum, ut glorificemur ab omnibus populis qui habitant super terram?

17 Dixit autem Dominus ad Moysen: Et verbum istud, quod locutus es, faciam: invenisti enim gratiam coram me, & teipsum novi ex nomine.

18 Qui ait: Ostende mihi gloriam tuam.

19 Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te: & * miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.

* Rom. 9.
15.

20 Rursumque ait: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet.

21 Et iterum: Ecce, inquit, est locus apud me, & stabis supra petram.

22 Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petrae, & protegam dextra mea, donec transeam:

23 Tollamque manum meam, & videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.

CAPUT XXXIV.

Moyſes novis paratis tabulis redit in montem, ubi tergum Dei videt: prohibitaque Gentium ſocietate & idololatria, datisque præceptis de primogenitiſ, ſabbato, azymis, cæteriſque feſtis, poſt 40. dierum jejunium cornutus de monte descendit, ac velata facie populo loquitur.

Deut. 10.

I.

1 **A**C deinceps: Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregiſti.

2 Eſto paratus mane, ut aſcendas ſtatim in montem Sinai, ſtabiſque mecum ſuper verticem montis.

3 Nullus aſcendat tecum, nec videatur quiſpiam per totum montem: boves quoque & oves non paſcantur e contra.

4 Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant: & de nocte conſurgens aſcendit in montem Sinai, ſicut præceperat ei Dominus, portans ſecum tabulas.

5 Cumque deſcendiſſet Dominus per nubem, ſteit Moyſes cum eo, invocans nomen Domini.

6 Quo tranſeunte coram eo, ait; Dominator Domine Deus, miſericors & clemens, patiens & multæ miſerationis, ac verax,

7 Qui * cuſtodis miſericordiam in millia: qui auferſ iniquitatem, & ſcelera, atque peccata: * nulluſque apud te per ſe innocens eſt. * Qui reddiſ iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem.

8 Feſtinuſque Moyſes curvatus eſt pronus in terram, & adorans,

9 Ait: Si inveni gratiam in conſpectu tuo Domine, obſecro ut gradiaris nobiſcum (populus enim duræ cerviciſ eſt) & auferas iniquitates noſtras atque peccata, noſque poſſideas.

10 Reſpondit Dominus: * Ego inibo pactum videntibus cunctis, ſigna faciam quæ nunquam viſa ſunt ſuper terram, nec in ullis gentibus: ut cernat populus iſte, in cujus eſt medio, opus Domini terribile quod facturus ſum.

11 Obſerva cuncta quæ hodie mando tibi: ego ipſe

* Deut.

5. 10.

Jer. 32.

13.

* Pfal.

142. 2.

* Deut.

5. 9.

* Jerem.

32. 18.

* Deut. 5.

2.

* Jerem.

32. 40.

ipſe ejiciam ante faciem tuam Amorrhæum, & Chananæum, & Hethæum, Phereæum quoque, & Hevæum, & Jebuſæum.

12 Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam:

13 Sed aras eorum deſtrue, confringe ſtatuaſ, lucoſque fuccide:

14 Noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes nomen ejuſ, Deus eſt æmulator.

15 * Ne ineam pactum cum hominibus illarum regionum: ne, cum fornicati fuerint cum diis ſuis, & adoraverint ſimulacra eorum, vocet te quiſpiam ut comedas de immolatiſ.

16 * Nec uxorem de filiabuſ eorum accipies filiis tuiſ; ne, poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filioſ tuoſ in deoſ ſuoſ.

17 Deoſ conſtatileſ non facieſ tibi.

18 Solemnitatem azymorum cuſtodieſ. Septem diebuſ veſceriſ azymiſ, ſicut præcepi tibi, in tempore menſiſ novorum: menſe enim veruſ temporis egreſſuſ eſ de Ægypto.

19 * Omne, quod aperit vulvam generiſ maſculini, meum erit: de cunctiſ animantibuſ tam de bobuſ, quam de ovibuſ meum erit.

20 Primogenitum aſini redimeſ ove: ſi autem nec pretium pro eo dederiſ, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimeſ: nec apparebiſ in conſpectu meo vacuus.

21 Sex diebuſ operaberiſ, die ſeptimo ceſſabiſ arare & metere.

22 * Solemnitatem hebdomadarum facieſ tibi in primitiſ frugum meſſiſ tuæ triticeæ, & ſolemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.

23 * Tribuſ temporibuſ anni apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu omnipotentis Domini Dei Iſrael.

24 Cum enim tulerø gentes a facie tua, & dilatavero terminoſ tuoſ, nulluſ inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te, & apparente in conſpectu Domini Dei tui ter in anno.

25 * Non immolabiſ ſuper fermento ſanguinem hoſtiæ meæ: neque reſidebit mane de victimiſ ſolemnitatiſ Phaſe.

* Sup.

23. 32.

Deut. 7. 2.

* 3. Reg.

11. 2.

* Sup. 13.

2. 12.

22. 27.

* Sup.

23. 15.

* Sup. 23.

17.

Deut. 16.

16.

* Sup. 31.

18. 19.

26 Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. * Non coques hœdum in lacte matris suæ.

27 Dixitque Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israel pepigi fœdus.

28 Fuit * ergo ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis *
 9. 18. *Deut.* 4. verba fœderis decem.

29 Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, & ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.

30 Videntes autem Aaron & filii Israel cornutam Moyli faciem, timuerunt prope accedere.

31 Vocatique ab eo, reversi sunt tam Aaron quam principes Synagogæ. Et postquam locutus est ad eos,

32 Venerunt ad eum etiam omnes filii Israel: quibus præcepit cuncta quæ audierat a Domino in monte Sinai.

33 Impletisque sermonibus, * posuit velamen super faciem suam.

34 Quod ingressus ad Dominum, & loquens cum eo, aufererebat donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Israel omnia quæ sibi fuerant imperata.

35 Qui videbant faciem egredientis Moysis esse cornutam, sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos.

CAPUT XXXV.

Præcipitur Sabbatum, petuntur primitiæ & donaria ac artifices ad construenda omnia quæ dicta sunt, quibus deputati a Domino dicuntur Beseleel, & Ooliab.

1 ¶ *Gitur congregata omni turba filiorum Israel, dixit ad eos: Hæc sunt quæ iussit Dominus fieri.*

1 Sex diebus facietis opus: septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum, & requies Domini: qui fecerit opus in eo, occidetur.

3 Non

3 Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati.

4 Et ait Moyses ad omnem catervam filiorum Israel: Iste est sermo quem præcepit Dominus, dicens:

5 Separate apud vos primitias Domino. * Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino: aurum & argentum, & æs.

6 Hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum,

7 Pelleque arietum rubricatas, & janthinas, ligna setim,

8 Et oleum ad luminaria concinnanda, & ut conficiatur unguentum, & thymiana suavissimum,

9 Lapidés onychinos, & gemmas ad ornatum superhumeralis & rationalis.

10 Quisquis vestrum sapiens est, veniat, & faciat quod Dominus imperavit:

11 Tabernaculum scilicet, & tectum ejus, atque operimentum, annulos, & tabulata cum vectibus, paxillos & bases:

12 Arcam & vectes, propitiatorium, & velum, quod ante illud oppanditur:

13 Mensam cum vectibus & vasis, & propositionis panibus:

14 Candelabrum ad luminaria sustentanda, vasa illius & lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium:

15 Altare thymiamatis, & vectes, & oleum unctionis & thymiana ex aromatibus: Tentorium ad ostium tabernaculi:

16 Altare holocausti, & craticulam ejus æneam cum vectibus & vasis suis: labrum & basim ejus:

17 Cortinas atrii cum columnis & basibus, tentorium in foribus vestibuli,

18 Paxillos tabernaculi & atrii cum funiculis suis:

19 Vestimenta, quorum usus est in ministerio sanctuarii, vestes Aaron pontificis ac filiorum ejus, ut sacerdotio fungantur mihi.

20 Egressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moyli,

21 Obtulerunt mente promptissima atque de-

M 5

vota

vota primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonii. Quidquid ad cultum & ad vestes sanctas necessarium erat,

22 Viri cum mulieribus præbuerunt armillas & inares annulos & dextralia, omne vas aureum in donaria Domini separatum est.

23 Si quis habebat hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, byssum & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, & janthinas,

24 Argenti, ærisque metalla obtulerunt Domino, lignaque setim in varios usus.

25 Sed & mulieres doctæ, quæ neverant, dederunt hyacinthum, purpuram, & vermiculum ac byssum.

26 Et pilos caprarum, sponte propria cuncta tribuentes.

27 Principes vero obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad superhumeralia & rationale,

28 Aromataque & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum, ac thymiana odoris suavissimi componendum.

29 Omnes viri & mulieres mente devota, obtulerunt donaria, ut fierent opera quæ iusserat Dominus per manum Moyfi. Cuncti filii Israel voluntaria Domino dedicaverunt.

^{Sup. 31.}
2 30 Dixitque Moyfes ad filios Israel: * Ecce, vocavit Dominus ex nomine Beseleel filium Uri filii Hur de tribu Juda.

31 Implevitque eum spiritu Dei, sapientia & intelligentia, & scientia & omni doctrina,

32 Ad excogitandum, & faciendum opus in auro & argento, & ære,

33 Sculpendisque lapidibus, & opere carpentario. Quidquid fabre adinveniri potest,

34 Dedit in corde ejus: Ooliab quoque filium Achisamech de tribu Dan:

35 Ambos eruditæ sapientia, ut faciant opera abietarii, polymitarii, ac plumarii de hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, & bysso, & texant omnia, ac nova quæque reperiant.

CAPUT XXXVI.

Oblatis plusquam opus esset donariis, paratur
ta-

tabernaculum juxta omnes partes suas, nempe cortinas, saga, opertoria, tabulata, veçes, velum, & tentorium.

1 Fecit ergo Beseleel, & Ooliab, & omnis vir sapiens, * quibus dedit Dominus sapientiam & intellectum, ut scirent fabri operari quæ in usus Sanctuarii necessaria sunt, & quæ præcepit Dominus. ^{Sup. 26. 1.}

2 Cumque vocasset eos Moyfes, & omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam, & qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus, ^{I. Par. 21. 29.}

3 Tradidit eis universa donaria filiorum Israel. Qui cum instarent operi, quotidie mane vota populus offerebat.

4 Unde artifices venire compulsi,

5 Dixerunt Moyfi: Plus offert populus quam necessarium est.

6 Jussit ergo Moyfes præconis voce cantari: Nec vir nec mulier quidquam offerat ultra in opere Sanctuarii. Sicque cessatum est a muneribus offerendis,

7 Et quod oblata sufficerent & superabundarent.

8 Feceruntque omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem de bysso retorta, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, opere vario, & arte polymita:

9 Quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos, & in latitudine quatuor. Una mensura erat omnium cortinarum.

10 Conjunxitque cortinas quinque, alteram alteri, & alias quinque sibi invicem copulavit.

11 Fecit & ansas hyacinthinas in ora cortinæ unius ex utroque latere, & in ora cortinæ alterius similiter,

12 Ut contra se invicem venirent ansæ, & mutuo jungerentur.

13 Unde & quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas, & fieret unum tabernaculum.

14 Fecit & saga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi:

15 Unum

15 Unum sagum in longitudine habebat cubitos triginta, & in latitudine cubitos quatuor: unius mensuræ erant omnia saga:

16 Quorum quinque junxit seorsum, & sex alia separatim.

17 Fecitque ansas quinquaginta in ora sagi unius, & quinquaginta in ora sagi alterius, ut sibi invicem jungerentur.

18 Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus sagis fieret.

19 Fecit & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliudque desuper velamentum de pellibus janthinis.

20 Fecit & tabulas tabernaculi de lignis setim stantes.

21 Decem cubitorum erat longitudo tabulæ unius: & unum ac semis cubitum latitudo retinebat.

22 Binæ incastraturæ erant per singulas tabulas, ut altera alteri jungeretur. Sic fecit in omnibus tabernaculi tabulis.

23 E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra Austrum.

24 Cum quadraginta basibus argenteis. Duæ bases sub una tabula ponebantur ex utraque parte angulorum, ubi incastraturæ laterum in angulis terminantur.

25 Ad plagam quoque tabernaculi, quæ respicit ad Aquilonem, fecit viginti tabulas,

26 Cum quadraginta basibus argenteis, duas bases per singulas tabulas.

27 Contra occidentem vero, id est, ad eam partem tabernaculi, quæ mare respicit, fecit sex tabulas,

28 Et duas alias per singulos angulos tabernaculi retro:

29 Quæ junctæ erant a deorsum usque sursum, & in unam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex utraque parte per angulos:

30 Ut octo essent simul tabulæ, & haberent bases argenteas sedecim, binas scilicet bases sub singulis tabulis.

31 Fecit & vestes de lignis setim, quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi:

32 Et quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas: & extra hos, quinque alios vestes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare.

33 Fecit quoque vestem aliam, qui per medias tabulas ab angulo usque ad angulum perveniret.

34 Ipsa autem tabulata deauravit, fufis basibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos, per quos vestes induci possent: quos & ipsos laminis aureis operuit.

35 Fecit & velum de hyacintho, & purpura, vermiculo, ac bysso retorta, opere polymitario, varium atque distinctum:

36 Et quatuor columnas de lignis setim, quas cum capitibus deauravit, fufis basibus earum argenteis.

37 Fecit & tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo, byssoque retorta, opere plumarii:

38 Et columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.

CAPUT XXXVII.

Formatur arca, propitiatorium, Cherubim, mensa, candelabrum, lucernæ, altare thymiamatis, pro quo thymiana componitur.

Fecit autem Beseleel & arcam de lignis setim, habentem duos semis cubitos in longitudine, & cubitum ac semissem in latitudine, altitudo quoque unius cubiti fuit & dimidii: vestivitque eam auro purissimo intus ac foris.

2 Et fecit illi coronam auream per gyrum.

3 Conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos ejus: duos annulos in latere uno, & duos in altero.

4 Vestes quoque fecit de lignis setim, quos vestivit auro,

5 Et quos misit in annulos, qui erant in lateribus arcæ ad portandum eam.

6 Fecit & propitiatorium, id est, oraculum, de

de auro mundissimo, duorum cubitorum & dimidii in longitudine, & cubiti ac semis in latitudine.

7 Duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos posuit ex utraque parte propitiatorii:

8 Cherub unum in summitate unius partis, & Cherub alterum in summitate partis alterius: duos Cherubim in singulis summitatibus propitiatorii,

9 Extendentes alas, & tegentes propitiatorium, seque mutuo & illud respicientes.

10 Fecit & mensam de lignis fetim in longitudine duorum cubitorum, & in latitudine unius cubiti, quæ habebat in altitudine cubitum ac semissem.

11 Circumdeditque eam auro mundissimo, & fecit illi labium aureum per gyrum,

12 Ipsique labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum, & super eandem, alteram coronam auream.

13 Fudit & quatuor circulos aureos, quos posuit in quatuor angulis per singulos pedes mensæ,

14 Contra coronam: misitque in eos vestes, ut possit mensa portari.

15 Ipsos quoque vestes fecit de lignis fetim, & circumdedit eos auro.

16 Et vasa ad diversos usus mensæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina.

17 Fecit & candelabrum ductile de auro mundissimo. De cuius veste calami, scyphi, sphaerulæque ac lilia procedebant:

18 Sex in utroque latere, tres calami, ex parte una, & tres ex altera:

19 Tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphaerulæque simul & lilia: & tres scyphi instar nucis in calamo altero, sphaerulæque simul & lilia. Equum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri.

20 In ipso autem veste erant quatuor scyphi, in nucis modum, sphaerulæque per singulos simul & lilia.

21 Et sphaerulæ sub duobus calamis per loca tria,

tria, qui simul sex sunt calami procedentes de veste uno.

22 Et sphaerulæ igitur, & calami ex ipso erant: universa ductilia ex auro purissimo.

23 Fecit & lucernas septem cum emundtoris suis, & vasa, ubi ea quæ emuncta sunt, extinguantur, de auro mundissimo.

24 Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis.

25 Fecit & altare thymiamatis de lignis fetim, per quadrum singulos habens cubitos, & in altitudine duos: e cuius angulis procedebant cornua.

26 Vestivitque illud auro purissimo cum craticula ac parietibus & cornibus.

27 Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vestes, & possit altare portari.

28 Ipsos autem vestes fecit de lignis fetim, & operuit laminis aureis.

29 Composuit & oleum ad sanctificationis unguentum, & thymiamata de aromatibus mundissimis opere pigmentarii.

CAPUT XXXVIII.

Fabricatur altare holocaustorum cum labro aneo, & atrio, oblataque donaria recensentur.

1 Fecit & altare holocausti de lignis fetim, 2. *Par.*
quinque cubitorum per quadrum, & trium 1. 5.
in altitudine:

2 Cuius cornua de angulis procedebant, operuitque illud laminis æneis.

3 Et in usus ejus paravit ex ære vasa diversa, lebetes, forcipes, fuscinulas, uncinos, & ignium receptacula.

4 Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, & subter eam in altaris medio arulam,

5 Fufis quatuor annulis per totidem retiaculi summitates, ad immittendos vestes ad portandum:

6 Quos & ipsos fecit de lignis fetim, & operuit laminis æneis:

7 Induxitque in circulos, qui in lateribus al-